

quarta.

concomitanter se habere cum positione alterius. Idque nomen ipsum *conversionis* sonare videtur; ex communi enim hominum intelligentia, unum transire in aliud, non est unum desinere esse, quando aliud incipit: alioquin si nunc aqua pereat, et vinum creetur, dicitur aquam converti in vinum, quod est ridiculum (1). *Quarta conditio* est, ut in conversione adsit aliquid commune, quod idem perseveret sub utroque termino, et in ordine ad quod uterque terminus repugnet. Ratio est, quia «eo ipso quod unum convertatur in aliud, dicitur unum fieri ex alio, et unum terminum formalem succedere alteri, et poni loco alterius, et supplere vicem illius. Supplere autem debet esse in ordine ad aliquod tertium, cui deset terminus *a quo*, et cui advenit terminus *ad quem* in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circa aliquod tertium circa quod idem munus exercebat terminus adveniens, et ratione cujus successionis dicitur hoc secundum esse, quod erat primum...» (2). Et sic videmus in omnibus conversionibus naturalibus; nam in accidentalibus remanet substantia eadem sub utroque termino accidentali, et in substantialibus materia prima, quæ successive transit ab una forma substantiali in aliam. At in Sanctissima Eucharistia sub iisdem accidentibus versatur, ac demonstratur prius panis ac vini substantia, mox Corpus Domini nostri Jesu Christi ex efficacia verborum consecrationis. Verum hactenus de his: plura dabunt veteres auctores, ac nominatim ii, quos superius laudavimus.

De mixtione denique nihil remanet hic addendum, cum alibi satis probata et descripta maneat (3).

(1) Utrum autem connexio hæc debeat esse physica et ex natura rei, an vero sufficiat connexio extrinseca ex fine et intentione operantis, nolentis ponere unum nisi destruendo aliud, vide, si vis, apud veteres Doctores.

(2) Lugo loc. cit. sect. 1, num. 8, ubi plura require.

(3) Vide supra, num. 135 seqq., a pag. 474; et num. 147, pag. 553.

ARTICULUS III.

Enodantur quedam dubia circa præcedentem materiam.

Quæ hactenus disputata sunt de corporea activitate, dubitationes quasdam excitare in mente possunt, quas operæ pretium esse existimo ad materiæ complementum, breviter discutere. Et primo quidem dubitatur

§ I.—UTRUM CORRUPTIO, QUÆ IN GENERATIONE NOVÆ SUBSTANTIÆ INTERVENIT, NATURALIS DICENDA SIT.

359. Ad solutionem questionis notandum est, primo naturale sumi posse trifariam: α) prout opponitur artificiali et supernaturali; β) prout importat appetitum et inclinationem naturalem, quo pacto materiæ naturalis est forma aliqua; γ) pro eo quod consentaneum est rei, vel naturam ejus sequitur, utcumque se ad illam habeat. Notandum deinde, corruptionem posse comparari vel cum materia, quæ est ejus subjectum vel cum forma et composito, quæ sunt terminus *a quo*. Itaque sumpta voce in primo sensu, certum est corruptionem esse naturalem. Si vero secundo modo sumatur naturale, corruptio est naturalis respectu materiæ, non tamen respectu formæ nec respectu compositi. Primum patet, quia materia naturaliter appetit quamlibet formam, quia ex se non habet minorem proportionem cum una, quam cum alia. Ergo habens unam, potest naturaliter recipere aliam, atque adeo appetere illam. Sed non potest ullo modo recipere nec appetere aliam nisi corrupta priori. Ergo corruptio formæ naturalis est materiæ ex inclinatione et appetitu materiæ. Alterum etiam probatur. Quia corruptio tendit per se ad non esse formæ et compositi. Atqui nihil inclinatur ad non esse sui, sed potius appetit naturaliter esse et conservationem suæ existentie, nam esse est bonum rei, malum vero non esse. Denique sumendo naturale in tertia significatione pro eo, quod sequitur naturam alicujus, vel est consentaneum ei, corruptio naturalis dicenda est tum relate ad compositum, tum relate ad formam, tum relate ad materiam. *Relate ad compositum*; quia compositum coalescit

Utrum
corruptio,
quæ in novæ
substantiæ
generatione
intervenit,
naturalis
dicenda sit.

ex unione materiæ ac formæ. Atqui hæc unio natura sua dissolubilis est, nam obnoxia est actioni causarum naturalium, cui sæpe nequit resistere. Hoc pacto homo dicitur et est corruptibilis, et mors eidem est naturalis et ingenta, sicut et cæteris viventibus, tum quia componuntur ex materia contrariorum susceptiva, tum quia formæ, ut materiam actuent, certas requirunt dispositiones, quas facile amittere possunt ex actione naturalium causarum, et quibus amissis servare jam amplius unionem suam cum materia nequeunt. Unde etiam patet, quomodo corruptio sit naturalis *relate ad formam*, nempe materialem, nam forma immaterialis est prorsus incorruptibilis. Quia formæ educæ de potentia materiæ, non possunt extra materiam subsistere, sed egent unione cum illa, ut sint. Ergo si unio hæc dissolvi potest naturaliter, formæ ipsæ naturaliter corruptibiles dicendæ sunt. Denique *respectu quoque materiæ* corruptio naturalis est. Quia materia potest ex se ac natura sua recipere quaslibet formas substantiales cujuslibet speciei. Atqui naturaliter impossibile est unam recipere sine alterius expulsionem compositique corruptione. Ergo etiam ex propria natura materia est subjectum corruptionis, sicut et generationis, atque adeo corruptio nequit ei non esse naturalis (1). Secundo dubitatur

§ II.—UTRUM CORRUPTIO FIAT PER VERAM EFFICIENTIAM ET ACTIONEM (2).

360. Ut res melius declaretur, nota corruptionem duobus modis accidere posse: primo, quia *non esse* unius rei consequitur ex *esse* alterius, ut v. g. corruptio ligni ex generatione ignis vel cineris. Secundo, quia res absolute privatur suo *esse* quasi immediate absque generatione alterius, sicut corrumpitur, vel desinit esse lumen in aëre per absentiam solis aut alius corporis luminosi. Hoc supposito; sit

(1) Vide de his S. Thom. (1. 2. quæst. 85, art. 6; de Malo, quæst. 5, art. 5), Rubium (loc. cit. quæst. 1), Conimbricenses (loc. cit. quæst. 16, art. 3), Complutenses (loc. cit. quæst. 2), Joannem a S. Thoma (*Physic.* secund. part. quæst. 2, art. 3) apud quos de his require.

(2) Que ad hujus dubii resolutionem dicentur, brevi compendio exhibent ea, quæ fusiore et egregie tradit Suarez, *Metaphys.* disp. 18, sect. 11.

Utrum
corruptio
sit actio quædam
positiva
et efficientia.

ASSERTIO 1.^a Corruptionem ac desitionem rei nunquam fieri per efficientiam propriam et positivam, nisi quatenus carentia alicujus esse consequitur ad effectiorem seu positionem alterius esse.

Corruptio
nunquam fit
per propriam
et positivam
efficientiam, nisi
quatenus
consequitur
effectiorem
alterius rei.

Nam positiva efficientia fit solum per positivam actionem: actio enim et efficientia unum idemque sunt, sicut agens et efficiens. Atqui actio positiva immediate ac per se non tendit ad *non esse*; siquidem realis ac positivæ actionis terminus realis et ipse sit ac positivus, oportet; *non esse* autem non est quidpiam reale ac positivum, sed negativum ac purum nihil in rerum natura. Ergo si quid per actionem positivam corrumpitur, ideo id fieri dicendum est, quia per illam aliquid efficitur, quod impossibile est cum *esse*, quod destruitur. «Est ergo in universum verum per efficientiam positivam nihil immediate destrui, sed solum consequenter ad aliud *esse*, quod per actionem fit: quæ consecutio fundatur in aliqua repugnantia talium rerum».

ASSERTIO 2.^a Quando alicujus rei desitio non consequitur ad positivam effectiorem alterius, sed per se sola fit, non fit per efficientiam propriam, sed per carentiam efficientiæ.

Quando
corruptio ac
desitio rei non
consequitur
effectiorem
alterius rei, fit
non per
actionem
propriam,
sed per actionis
carentiam.

Hoc principium sequitur ex precedente, quia actio positiva non est, nisi ad aliud *esse* positivum. Ergo dum nullum *esse* communicatur, non potest actio positiva intervenire. In hoc autem genere desitionis et corruptionis nullum *esse* communicatur, sed solum aufertur. Ergo non potest fieri per veram actionem: ergo necessario fieri debet per carentiam actionis, quia non potest intervenire alius modus causalitatis, qui ad efficientem causam pertineat».

Ex quibus sequitur 1.^o In omni corruptione seu amissione alicujus esse realis intervenire aliquam mutationem, non vero semper intervenire aliquam actionem. Nam mutatur res, quando aliter se habet, quam prius. Atqui quando v. g. aër, qui illuminatus erat, remoto corpore luminoso, fit tenebrosus, aliter procul dubio se habet; et nihilominus mutatio ista non fit per veram actionem, ut constat ex secunda assertione. Ergo in omni corruptione semper quidem intervenit mutatio,

In omni
corruptione
intervenit
mutatio non
tamen semper
actio.

non tamen semper intervenit positiva, atque adeo veri nominis actio.

Quotiescumque in corruptione rei locum habet positiva actio, hæc non potest esse actio creativa, sed educativa ex præsupposito subjecto.

Sequitur 2.^o *Quoties corruptio vel desitio rei fit per actionem positivam, quæ ex se habeat consequenter causare talem corruptionem, actio ejusmodi necessario est ex præsupposito subjecto.* Ratio est, quia corruptio aut desitio non fit ex vi actionis physicae ac positivæ, nisi quia illud esse, quod per eam fit, habet naturalem repugnantiam cum esse, quod destruitur. Hæc autem repugnantia naturalis esse non potest, nisi in ordine ad idem commune subjectum, quod maneat sub utroque termino: quia inter res subsistentes et nullum habentes ordinem ad subjectum, non potest esse naturalis repugnantia, ob quam in rerum natura simul esse non possint. Ergo necesse est, ut talis actio sit ex præsupposito subjecto.

Annihilatio non potest fieri per positivam actionem.

Sequitur 3.^o *Annihilationem propriam fieri non posse a Deo per positivam actionem.* «Quia annihilatio nihil relinquit, quod possit esse subjectum actionis. Item quia vel actio fit in subjecto, et sic non destruit illud, et consequenter non efficit annihilationem: vel fit sine subjecto, et sic nihil per illam fieri potest, quod repugnet toti esse alterius rei. Ergo nihil per talem actionem potest annihilari».

Quotiescumque in corruptione corporis intervenit actio positiva, una tantum simplex actio datur, et duæ mutationes.

Sequitur 4.^o *Quotiescumque fit corruptio aut desitio per positivam actionem, ut accidit cum novum esse generatur, una dumtaxat simplex actio intervenit, ac duæ partiales mutationes, positiva una, altera privativa.* Nam ut superius explicuimus, trifariam potest aliquid mutari: primo a forma in carentiam ejus, et tunc fit mutatio privativa, nulla vero intervenit actio, per se loquendo, sed solum carentia actionis conservativæ. Secundo mutatur aliquid ex pura privatione in formam, ut ex tenebroso in lucidum; ac tunc sicut una intervenit actio, ita etiam una simplex mutatio positiva. Tertio contingit aliquid mutari ex una forma in aliam, ut cum ex ligno fit ignis. Et tunc una simplex intervenit actio, qua educitur vel unitur forma, quæ de novo introducitur in tali subjecto, nam ad expellendam aliam nulla alia actio est necessaria, ut diximus; mutatio vero duplex fit, quia subjectum illud duplici titulo aliter se habet, scilicet et carendo forma, quam prius habeat, et eam accipiendo, qua carebat.

«Quæ duæ mutationes adeo distinctæ sunt, ut reipsa interdum separantur... Item una est generatio, altera est corruptio, substantialis vel accidentalis, vel interdum una est intensio et altera remissio: denique una est positiva, altera privativa. Unde quantum inter se differunt unius formæ informatio et alterius privatio, tantum inter se differunt illæ mutationes. Possunt autem illæ mutationes partiales dici, quia physico modo componunt unum integrum transitum ab uno termino positivo in alium, qui... appellatur conversio unius rei in aliam» (1). Unde etiam S. Thomas docet utramque hanc mutationem efficere unum motum physicum (2). Ex quibus omnibus colligitur,

Quid dicendum sit de causis corruptionis. Corruptio formaliter sumpta, cum sit merum non esse, nullam habet causam immediate efficientem, nisi talis vocetur in sensu negativo et improprio illa, quæ cessat a conservatione rei. Plerumque tamen, nempe cum corruptio consequitur ex productione alterius esse, dici potest habere causam efficientem mediate, illam videlicet quæ formam efficit pereuntii contrariam. Habet etiam causam efficientem moralem, nimirum exactivam directe et immediate, quotiescumque una res corrumpitur, vel desinit ad exigentiam alterius: quo pacto una forma exigit expulsionem alterius, et generatim unum contrarium exigit contrarii sui expulsionem ab eodem subjecto. Hæc tamen exigentia, quæ habetur in nova forma ad alterius expulsionem, non importat ullam physicam operationem vel efficientiam unius formæ ad corruptionem contrariæ peragendam, sed solum formalem repugnantiam (3): quare etiam prædicta exigentia dici solet corruptionis causa formalis extrinseca. Causa materialis corruptionis est subjectum, a quo forma expellitur. Ac demum causa finalis, saltem dum corruptio non provenit a causa secunda libera, semper est bonum novi compositi (4). Præterea dubitatur,

Causæ corruptionis efficiens.

materialis, finalis.

(1) Suarez, loc. cit.

(2) Vide S. Thom., de Verit., quæst. 28, art. 1.

(3) Vide Suarezium, loc. sup. cit. num. 9, 10.

(4) Vide Lossada (de Gener. et Corrupti. disp. 2, cap. 1, num. 10).

§ III.—UTRUM GENERATIO UNIUS ET CORRUPTIO ALTERIUS
HABEANT INTER SE ALIQUEM ORDINEM PRIORIS ET POSTERIORIS.

Utrum inter
generationem
et corruptionem
sit aliquis ordo
prioritatis.

Dubium
non est de
prioritate
temporis,

sed naturæ.

Varie
sententiæ:

361. Hujus dubii solutio utilis est etiam ad Theologiam, ac nominatim ad illam controversiam, in qua queritur, utra sit prior, gratiæ infusio, an peccati remissio, vel an inter has ordo aliquis intercedat. Primum itaque revocanda in memoriam est ex *Ontologia* prioritas temporis et naturæ. Hic enim non dubitatur de temporis prioritate. Nam «certum est generationem et corruptionem esse in eodem instanti, cum nec forma præcedens introducta: si enim esset expulsa ante instans generationis, daretur materia sine forma, quia ante instans generationis non est nova forma introducta. Ergo si ante illud sit præcedens expulsa, sequitur tempore aliquo dari materiam sine ulla forma. Veritas ergo est, in eodem instanti introductam esse novam formam, et expulsam antiquam. Et cum introductio novæ sit generatio, et expulsio antiquæ corruptio, in eodem instanti erunt corruptio et generatio» (1). Ad rem Angelicus: *Expulsio formæ dicit terminum motus illius, qui est ad corruptionem ordinatus; et introductio formæ dicit similiter terminum motus illius, qui præcedit generationem, quia tam generatio quam corruptio sunt terminus motus. Omne autem, quod movetur, quando est in termino motus, disponitur secundum illud, ad quod motus ordinatur: et ideo cum motus corruptionis, tendat in non esse, generationis vero ad esse, quando forma introducitur, forma est; quando autem expellitur, non est. Et quia introduci dicitur forma, quando primo est, expelli autem, quando primo non est; non potest esse materia sine forma hac vel illa: et ideo simul est ibi expulsio unius formæ et introductio alterius* (2). Questio ergo solum versatur circa prioritatem naturæ. Et quia omnis prioritas secundum ordinem naturæ aliquo modo reducit ad ordinem causæ et causalitatis, tota controversia pendet ex ordine causalitatis, quæ intercedat inter generationem et corruptionem. Est ergo multorum sententia, generationem

(1) Rubius, *de Generat. et corrupt.* loc. cit. quest. 5, num. 99.

(2) S. Thomas, 4.^o dist. 17, quæst. 1, art. 1, solut. 2.^a

quidem in genere causæ formalis priorem esse corruptione, hanc vero in nullo genere priorem esse illa. Alii autem apud Rubium et Complutenses (1), existimant introductionem quidem novæ formæ, quæ est generatio, esse priorem expulsionem veteris, quæ est corruptio, ex parte causæ efficientis, et in genere tum causæ formalis, tum finalis; corruptionem tamen esse priorem ex parte materiæ, et quodammodo in genere causæ materialis. Eademque est doctrina Aquinatis (2): qui mutuam istum generationis et corruptionis ordinem sic exponit: *Recessus a termino et accessus ad terminum dupliciter considerari possunt: uno modo ex parte mobilis* (subjecti vel materiæ), *et sic naturaliter recessus a termino* (corruptio) *præcedit accessum ad terminum* (generationem); *prius enim est in subjecto mobili oppositum, quod abjicitur, et postmodum est id, quod per motum assequitur mobile. Sed ex parte agentis est e converso: agens enim per formam, quæ in eo præexistit, agit ad removendum contrarium; sicut sol per suam lucem agit ad removendum tenebras; et ideo ex parte solis prius est illuminare, quam tenebras remove, ex parte autem aëris illuminandi prius est purgari a tenebris, quam consequi lumen ordine naturæ, quamvis utramque sit simul tempore* (3). Quam doctrinam plenius evolvit P. Antonius Rubius in hæc verba: «Notandum est generationem et corruptionem posse considerari ex parte agentis et ex parte passi» vel materiæ: «et primo modo consideratæ sumuntur per modum actionis, secundo vero modo per modum passionis... Non tamen sunt comparandæ, ut considerantur ex parte agentis, ad seipsas, ut considerantur ex parte materiæ: neque hoc modo potest esse in eis ordo prioris et posterioris, quia agens et materia continent diversa genera causarum; et ideo non habent ordinem prioris et posterioris, nisi in quantum causæ possunt esse sibi invicem causæ... Solum ergo comparari possunt, ut se tenent ex parte agentis inter sese, et ut se tenent ex parte passi inter sese: quo pacto possunt habere ordinem prioris

(1) Rub. (ibid. quæst. 5, num. 101), Complutens. (*de Gener. et Corrupt.* disp. 3, quæst. 5, num. 98).

(2) Vide S. Thom., 4.^o dist. 17, quæst. 1, art. 4, solut. 1. Cfr. *de Veritate*, quæst. 28, art. 7; 1, 2, quæst. 113, art. 8.

(3) S. Thom. 1. 2, quæst. 113, art. 8, ad 1.^{um}

et posterioris. Sed ut considerantur ex parte agentis, generatio vocatur introductio novæ formæ, quia agens intendit formam introducere ad generationem compositi; corruptio vero vocatur expulsio formæ præcedentis, quia agens per introductionem activam novæ formæ, active etiam dicitur expellere præcedentem. Sed ut se tenent ex parte materiæ, generatio dicitur receptio novæ formæ, corruptio vero purgatio vel emundatio a forma præcedente, sive passiva expulsio ejusdem formæ præcedentis. Integra vero ratio generationis utrumque includit, nempe introductionem formæ in materiam, et receptionem ejusdem formæ in eadem materia, ut ex se est manifestum: et integra ratio corruptionis includit activam expulsionem formæ præcedentis a materia, et purgationem ejusdem materiæ ab opposita forma sive passivam expulsionem ejus. Itaque hæc sententia sic explicata duo asserit: primum est, generatio ut se tenet ex parte efficientis, prior natura est corruptio: secundum, ut se tenet ex parte materiæ, posterior; et ideo in genere causæ efficientis et absolute prior, sed in genere causæ materialis posterior, quod est esse secundum quid posteriorem» (1).

Judicium
Auctoris.

Circa hanc controversiam dicendum videtur, primo quidem in genere causæ finalis, priorem esse generationem corruptione; nam quemadmodum superius dictum est, corruptio non potest esse primo et per se intenta, sed tantum secundario et per accidens, quia, ut iterum verba S. Thomæ repetamus, *natura principaliter intendit introductionem formæ, et ad hanc ordinal expulsionem omnis ejus, cum quo stare non potest formæ intentio*. Deinde in genere etiam causæ efficientis prior est generatio. Quia corruptio veteris formæ non datur nisi ad exigentiam novæ, ut satis ex dictis innotescit. Sed illud, ad cujus exigentiam aliud evenit, est prius eo. Et probatur: quia exigentia est prior termino exigentiæ et causa moralis illius. Præterea agens per introductionem novæ formæ operatur ad prioris expulsionem; illud autem, quo mediante agens operatur, est eo prius aliquo modo. Hinc etiam concluditur, generationem priorem esse corruptione etiam in genere formalis causæ, quia corruptio non adest,

(1) Rubius [loc. cit. quest. 2, num. 101, 102].

nisi quia agens formam novam educit impossibilem cum priori: quare recessus veteris formæ dependet ex novæ positione, et non vicissim. Unde etiam dici solet corruptionem vel expulsionem formæ veteris esse effectum formalem secundarium novæ formæ. Valde autem dubium est, utrum corruptio præcedat generationem in genere causæ materialis. Et quod nequeat stricta prioritate naturæ præcedere, colligitur ex alibi asserta et probata repugnantia mutue prioritatis vel causalitatis, sive in eodem, sive in diverso genere causæ.

Probabis cum Rubio corruptionem præcedere natura in genere causæ materialis. Etenim generatio ex parte materiæ dicit receptionem novæ formæ, et corruptio purgationem ab antiqua. Sed prius est ex parte materiæ purgari a forma opposita, quam novam recipere, ut patet exemplo solis, superfluis adducti ex S. Thomæ, itemque æeris aperiens fenestram, et per eam ingredientis cubiculum: «nam ex parte ipsiusmet æeris prius est ingressio activa, quam apertio fenestræ, cum fenestra aperiatur effective ab ingressu æeris, sed ex parte ejusdem fenestræ prius est eam aperi, quam æerem ingredi, quia fenestra non nisi aperta locum ingrediendi præbet æeri» (1). Præterea materia non recipit formam, nisi quatenus est apta et disposita atque expedita ad eam recipendam. Atqui materia non est apta et expedita ad recipendam formam, nisi per purgationem ab opposita forma utpote quæ naturaliter impedit receptionem novæ. Ergo ex parte materiæ prius natura est purgatio a priori forma seu corruptio, quam novæ receptio vel generatio. Atque id est, quod S. Thomas in locis citatis docet, corruptionem se habere tanquam impedimenti remotionem, atque adeo dispositionem necessariam ad generationem (2).

Hæc tamen rem minime evincunt: non enim probant dari in corruptione veram prioritatem naturæ. Sane quod primum attinet, expulsio formæ nullam habet causalitatem, sed tantum est effectus secundarius introductionis formæ novæ: Quare videtur improprie dici causa materialis respectu generationis vel introductionis formæ alterius, cum potius

(1) Rubius, loc. cit. num. 102.

(2) Vide Auctores superius citatos, et P. Cosmum Alamanni, *Summ. philos.*, secunda secundæ partis, quest. 35, art. 12.

sit remotio cujusdam impedimenti non tam antecedens, quam subsequens vel concomitans. Vel si quis est ordo aut prioritas, magis est secundum considerationem nostram, quam secundum veram causalitatem. Nec vero hanc omnino probat primum exemplum lucis ac tenebrarum. Cum enim lux ac tenebræ immediate ac formaliter sese excludant, ut lux et non lux; purgatio sive ablatio tenebrarum est ipsa formalis positio lucis, nec potest proinde inter hæc ordo realis existere. Exponi ergo haud absurde potest forte S. Thomas de ordine naturæ improprio et secundum nostrum concipiendi modum imperfectum, quatenus tenebras apprehendimus instar cujusdam impedimenti positivi, quod prius removeri debeat, quam lux ingrediatur. Vel si vis dicere esse reapse impedimentum, certe est impedimentum auferibile ipsa formalis lucis positio, nec est aliter auferibile; ac proinde non potest ullam veri nominis prioritatem et causalitatem exercere respectu illuminationis. Idem dico de altero exemplo apertionis fenestræ. Nam apertio fenestræ si compararetur ad introductionem lucis, est quidem remotio cujusdam impedimenti simpliciter antecedens ordine naturæ, nullo autem modo est effectus introductionis lucis; sed sic non esset exemplum ad rem, quia hic adsunt duæ actiones distinctæ, apertio nempe fenestræ et illuminatio. At vero aliter se res habet in apertione fenestræ per ventum relate ad ingressum ejusdem venti. Sic enim apertio quidem est effective ab ære impellente, tamen ille ær, ut *impellens et efficiens*, nullo modo est effectus ipsius apertionis in genere causæ materialis; quia ær impellens non efficit illum motum fenestræ, ut introductus jam in locum ejus, sed ut contingens et imprimens illi impetum, quod facit prius tempore vel instante, quam in locum fenestræ introducatur, et fenestra ipsa e loco suo moveatur. Et ita respectu illius efficientiæ nulla est causalitas materialis in effectu ejus. Quod si consideretur ær ut jam occupans locum fenestræ, quæ aperitur, sic non est causa effectiva apertionis, sed formalis, per formalem nimirum impossibilitatem illorum duorum corporum in eodem spatio. Et secundum hanc rationem, si est mutua causalitas inter apertionem fenestræ et introductionem æris, pertinet ad materiale et formalem, non ad efficientem: et idem

judicium de illa ferendum est, quod de introductione unius formæ et alterius expulsionem (1).

Nec magis urget alterum argumentum, ex eo petitum, quod materia nequeat formam recipere, nisi quatenus est apta et expedita ad eam recipendam. Id enim concedimus; est autem materia expedita et apta per ultimam dispositionem positivam, quæ ab agente introducit: ultra quam nihil aliud prævium requiritur. Verum est, quod forma vetus ratione suæ impossibilitatis cum nova, sit quoddam impedimentum, ac debeat recedere. Verum ejusmodi impedimentum est de genere illorum, quæ non nisi ipsa formali formæ novæ introductione removentur, ac proinde purgatio a veteri forma nequit habere veram rationem causæ materialis. Denique dubitatur,

§ IV.—UTRUM IN CORRUPTIONE SUBSTANTIALI FIAT RESOLUTIO USQUE AD MATERIAM PRIMAM.

362. Hæc est una ex celeberrimis hac in re quæstionibus, ejusque sensus aliis verbis est, utrum cum substantia corrumpitur, alia nova generata, spoliatur omnibus suis accidentibus simul cum forma substantiali, vel utrum omnia illius accidentia pereant ita, ut de priori corpore solum remaneat materia prima. Nec disceptatio est de accidentibus, quæ cum veteri forma connectebantur sive tamquam modi sive tamquam proprietates ejusdem, hæc enim omnia planum est, pereunte forma, perire debere: sed de illis aliis, quæ *communia* dicuntur, quæque sicut non habebant necessariam cum priori forma connexionem, ita nec cum nova penitus repugnant. In hac controversia communis est Thomistarum sententia, docens in corruptione substantiali fieri resolutionem usque ad materiam primam (2). Eandem doctrinam post Halensem,

Utrum
cum substantia
corrumpitur,
materia ejus
spolietur
omnibus suis
accidentibus
simul cum forma
substantiali.

Sententia
Thomistarum;

(1) Ita fere ad verbum Suarez (*Metaphys. disp. 27, sect. 2, num. 22, 23*). Cfr. Lossada (*Physic. tract. 2, disp. 4, cap. 3, num. 14*); De Benedictis (*Physic. lib. 2, quest. 2, cap. 4 fin.*), Mayr (*Philos. perip. pars. 2,º num. 857*).

(2) Vide Joann. a S. Thoma (*Physic. secund. pars. quest. 1, artic. 6*), Goudin (*ibid. disp. unic. quest. 1, art. 3, paragr. 1*), Cardin. Aguirre (*Physic. disp. 49*), Complutens. (*de Gener. et Corrupt. disp. 3 quest. 6*) etc.

sententia
Scotistarum,
esque longe
communior inter
Nostros.

Albertum M., Aegidium, Hervæum et Capreolum (1) amplectuntur e nostra Societate Fonseca, Conimbricenses, Rubius, Cosmus Alamanni et Sylvester Maurus (2). Hujus sententiæ adsertores putant eam omnino traditam esse ab Aristotele et S. Thoma. Altera sententia est communis inter Scotistas (3). et longe communior præcedenti inter Nostrates (4). Eademque docuerant e veteribus Avicenna, Averroes, Henricus Gandavensis, Gregorius, Scotus, Gabriel Biel, Ockam et alii (5). Pro hac etiam opinione quædam adducuntur testimonia S. Thomæ. Inter patronos vero hujus alterius sententiæ aliquam reperio differentiam; nam multi assertionem suam ad omnia corpora extendunt, Scotistæ autem, ut videre est apud laudatos Mastrium et Frassen (6), eandem ad sola viventia corpora restringunt, in cæteris admittunt resolutionem usque ad materiam primam. Quæ sententia sequitur ex aliis eorumdem Scotistarum doctrinis. Cum enim in viventibus admittant præter animam formam corporeitatis, quæ remaneat in cadavere, recedente anima, non possunt in illis immediatam resolutionem usque ad materiam primam agnoscere. In aliis vero eam agnoscunt, quia existimant, ut superius vidimus, cum Thomistis accidentia in

(1) Apud Conimbricenses, loco mox citando.

(2) Fonseca (*Metaphys.* lib. 8, cap. 1, quæst. 1, sect. 5), Conimbricenses (*de Gener. et Corrupt.* cap. 4, quæst. 18); Rubius (*ibid.* tract. 3, quæst. 4), Alamanni (*Summa philos.*, secunda secundæ, quæst. 35, art. 7), Mauri (*Quæstion. philos.*, lib. 3, quæst. 17).

(3) Vide Vide Mastrium (*de Gener. et Corrupt.* disp. 5, quæst. 3), Frassen (*de Gener. et Corrupt.* quæst. 3, conclus. 3.^a).

(4) Ita v. g. Suarez (*Metaphys.* disp. 14, sect. 3, num. 15 seqq.), Benedictus Pererius (*de Communibus principiis* etc. lib. 5, cap. 18), Toletus (*de Gener. et Corrupt.* lib. 1, quæst. 6), Rhodus (*Philos. perip.* lib. 2, disp. 11, quæst. 1, sect. 3), Hurtadus (*de Gener. et corrupt.* disp. 1, sect. 5), Arriaga (*Physic.* disp. 5, sect. 2), Oviédus (*de Gener. et Corrupt.* Controv. 1, punct. 3), Soares lusitan. (*de Gener. et Corrupt.* disp. 1, sect. 6, parag. 9 et 10), De Benedictis (*Physic.* lib. 4, quæst. 1, cap. 6), Semery (*Trienn. philos.* tom. 3, disp. 1, quæst. 3, art. 3), Antonius Mayr. (*Philos. perip.* part. 2, num. 1439 seqq.), Quiros (*Opus philos.* disp. 70, sect. 1), Lossada (*de Gener. et Corrupt.* disp. 2, cap. 6).

(5) Apud Conimbricenses, Rubium, etc.

(6) Vide Mastrium (*loc. cit.* art. 2), et Frassen (*loc. cit.*)

toto composito recipi. Est enim quæstio præsens connexa cum illa alia superius agitata de subjecto inhærensionis accidentium; si enim subjectum ejusmodi sit totum compositum corporeum, consequens est, ut eo pereunte, debeant quoque perire, quæcumque nonnisi eidem inhærendo existebant.

363. Hæc secunda sententia mihi quoque probabilior videtur. Probatur autem 1.^o experientia ipsa. Nam in cadavere manent eadem quantitas, figura, organizatio, nævi, cicatrices pluraque alia carnis et ossis accidentia. Immo si quis subito moriatur, vel interficiatur, idem durat calor aliquandiu. In corporibus etiam non viventibus pondus saltem idem remanet, ut docent Chimici, et bilance comprobatur: nam in combinationibus pondus mixti corporis æquat summam ponderum corporum elementarium, ac vicissim in chimicis resolutionibus, pondus mixti distribuitur inter corpora simplicia resultantia. Ponderus autem est accidens materiam primam consequens. Atqui experientia sensuum abjicienda non est, donec aut Fides aut ratio efficacia aliquo argumento contrarium persuadeat.

eligitur,
et probatur.

Respondent Thomistæ, relationem sensuum hac in re corrigendam esse; nec accidentia ista, quantumvis ita oculis appareant, esse numero eadem, sed tantum specie, quia nimirum in momento corruptionis alia simillima ejusdem speciei gignuntur.—Verum responsio ista parum solida videtur, neque enim manifestissima sensuum experientia respuenda vel corrigenda est absque firmissimis in contrarium argumentis, qualia certe adversariis non suppetunt. Cum potissimum nulla possit apta causa assignari, quæ in corpore novo produceret alia ejusdem speciei accidentia. Non materia, quæ activa non est; non forma nova, quia ista accidentia, utpote communia et non propria, necessariam cum illa connexionem non habent; nec facile est explicare, cur forma substantialis cadaverica nævos et cicatrices aliaque similia non in omnibus indiscriminatim corporibus reproduceret, sed solum in illis, quæ prius ea gesserant. Neque etiam accidentia ipsa corporis corrupta possunt esse novorum istorum, quæ ab adversariis obruduntur, accidentium cause; nam illa secundum eos in momento generationis jam non sunt, atque adeo nihil efficere possunt. Non cause

circumstantes, ut per se patet; quia nullæ sunt, quæ virtute tam mira gaudeant accidentia illa, v. g. figuram, organizationem, etc., in cadavere gignendi. Neque demum agentia universalia, nam hæc certos effectus non producant, nisi ad exigentiam subjecti et causarum particularium. Hic autem nec materia prima, nec novum corpus, nec agentia particularia, quæ intervenire possint in hujus generatione, talia accidentia producere exigunt.

Dicunt adversarii passim (1), accidentia ista ideo a causis universalibus produci, quia exiguntur a materia prima, non quidem specificative sumpta, sed prout sigillata per accidentia prioris compositi, dum in momento novæ generationis perirent.—Verum quid, quæso, est ista sigillatio, quam accidentia illa in materia reliquerunt? Additne aliquid materiæ, vel non? Si sigillatio nihil addit materiæ primæ, nihil proderit ad determinandam causam universalem ad horum potius, quam aliorum, productionem accidentium. Si quid autem ponit in materiæ prædicta sigillatio, vel illud remanet ex corpore corrupto in alio denuo generato, vel producitur in ipso generationis instanti. Si primum dicas, jam non fiet resolutio usque ad materiam primam. Sin alterum, restat eadem difficultas assignandi causam vel activam vel exactivam talis additamenti, quod cum prædictis accidentibus cadaveris vel alterius corporis corrupti connexionem habeat (2).

Dicent fortasse adversarii sigillationem illam esse connotationem extrinsecam, in eo consistentem, quod materia immediate ante habuerit accidentia similia iis, quæ in cadavere cernimus; cumque nequeat materia subito ad accidentia contraria vel nimis diversas transire, debet in instanti generationis accipere alia præcedentibus similia, quæ deinde pedetentim amittantur.—Respondetur, solutionem istam insufficientem esse; tum quia si materia transit ab anima ad formam cadaveris, quæ tam diversa est, non apparet ratio, cur non possit etiam transire ad accidentia diversa, supposito quod amittat in corruptione præcedentia; tum quia sæpe

(1) Vide v. g. Card. Aguirre (loc. cit. sect. 1. num. 12).

(2) Vide Lossada (loc. cit. num. 56); ac lege, si placet, fuse ac nervose de his disserentem (loc. cit. num. 20 seqq.).

de facto ex actione causarum externarum adsunt accidentia plura diversa a præcedentibus in cadaveribus viventium, ut patet v. g. in iis, qui fulmine tacti moriuntur (1).

Prob. 2.^o Si canis sursum projectus moveretur, pergeret profecto in suo motu, donec impetus primum impressus, retardante gravitate vel etiam aëris circumstantis affricu, penitus extingueretur. Atqui in hoc casu habes eundem motum eundemque impetum, quæ sunt duo accidentia communia, et in vivo cane et in mortuo. Ergo possunt eadem accidentia corrupti corporis in alio denuo generato permanere.

Dices cum Card. Aguirre (2) motum illum et impulsum canis vivi et mortui, non fore eundem numero, sed tantum specie, causamque novi motus et impulsus simillimi, in cadavere producti, esse ipsum agens extrinsecum, quod formam cadaveris introduxit.—Resp. Equidem induci, ut rem tam miram admittam, non possum, donec evidenti ratione probetur.

Prob. 3.^o Quatuor tantum modis desinere potest accidens in rerum natura: primo ad corruptionem subjecti, secundo per introductionem contrarii, tertio per desitionem termini, ut accidit in relativis, quarto demum ad absentiam agentis conservativi, ut, sole recedente, desinit lumen in aëre (3). Atqui accidentia nullo istorum modorum semper ac necessario corrumpuntur, corrupto corpore. Non primo, quia ut superius ostendimus, subjectum inhesionis accidentium non est totum corpus, sed materia prima: non secundo, quia sæpe forma novi corporis non repugnat accidentibus communibus, de quibus solis loquimur, prioris corporis; immo vero quantitati nihil unquam contrariatur: non tertio, qui est proprius dumtaxat relativorum: non denique quarto, quia accidentia communia non dependebant a forma corrupta in genere causæ efficientis. Ergo nulla est ratio, cur corrupto corpore aliquo, ejus accidentia omnia simul cum forma substantiali perire debeant. Plura si cupis, apud veteres Auctores reperies.

(1) Vide hæc fusius declarata apud Lossada (loc. cit. num. 57, 58).

(2) Loc. cit. sect. 3. num. 36.

(3) Vide Cajetan. super. Opusc. S. Thomæ de Ente et Essent. cap. 7. quest. 17.

Mens
S. Thomae

In favorem hujus sententiæ duo solent testimonia produci ex S. Thoma: alterum ex libro quarto *Contra Gentes* capite 81, in quo respondens S. Doctor ad secundam objectionem, scribit post mortem hominis materiam manere *sub eisdem dimensionibus*. Verum puto Aquinatem in eo loco interpretandum non esse *de identitate numerica*, sed *de specifica*; nam ibidem paulo inferius easdem dimensiones significans sub nomine *corporeitatis* accidentalis, docet eas in nihilum abire in morte hominis: quæ assertio aperte pugnat cum præcedenti, nisi hanc interpretemur de identitate specifica. Alter locus desumitur ex *Summa Theologica*, ubi hæc habentur: *Dispositio se habet ad perfectionem dupliciter: uno modo sicut via ducens ad perfectionem, alio modo sicut effectus a perfectione procedens*; per calorem enim disponitur materia ad suscipiendam formam ignis, qua tamen adveniente, calor non cessat, sed remanet quasi quidam effectus formæ (1). Verum etiam in contrarium adest alter locus perspicuus, qui nullam patitur benigniorem interpretationem. *Sed dubitatur*, inquit, *utrum eadem passio numero, quæ sit altera pars contrarietatis, possit esse in generato et corrupto, ut supra dictum est*. Et post allatas in utramque partem rationes, sic concludit: *Dicendum ergo est, quod non manet idem numero, sed id quod prius erat, corrumpitur per accidens corruptione subjecti, recedente forma, quæ prius erat talis accidentis: et adventit simile accidens consequens formam de novo advenientem, vel accidentem, etc.* (2)

et Aristotelis

Ex Aristotele quoque solet objici contra stabilitam doctrinam celebris illa definitio generationis a Philosopho tradita: *Generatio est mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente*.—Sed satis probabiliter respondent Suarez (3) et alii, nihil posse concludi exinde contra nostram sententiam: integra namque definitio aristotelica hæc est: *mutatio totius in totum, nullo sensibili remanente ut subjecto eodem*. Quæ verba non videntur absolute negare, quod possit remanere aliquid sensibile utcumque, sed quod remaneat *ut idem*

(1) 3. p. quest. 9. art. ad 2.^{am}

(2) S. Thom. de Gener. et Corrupt. lib. 1. lect. 10. paragr. d.

(3) Loc. cit. num. 53.

subjectum: id quod satis, puto, verificatur, si non remaneat, ut reapse non remanet, idem compositum substantiale (1).

364. Dices 1.^o Si corrupta corporea substantia, non perit ejus v. g. quantitas, sequitur materiam primam strictius uniri huic, quam ipsi formæ substantiali. Atqui hoc absurdum est, tum quia materia cum forma facit magis unum, quam cum quantitate, tum quia partes ad idem prædicamentum spectantes, connaturalius et amicus copulantur, ac proinde difficilius queunt separari.

Respondeo 1.^o Instantiam manifestam esse in anima rationali, quæ quamvis faciat cum materia unum per se in humano composito, et unum dumtaxat per accidens cum suis potentiis spiritualibus, nihilominus ab his nunquam, ab illa vero facile ac naturaliter separatur. 2.^o Materia quidem unitur cum forma magis stricte, scilicet magis proprie et apte ad constituendum unum, non tamen magis stricte, quatenus hæc vox importare possit permanentiam ac diuturnitatem unionis; aptitudo autem ad faciendum magis unum dijudicanda non est ex diuturnitate unionis, sed ex eo quod unio respiciat extrema ad idem genus vel prædicamentum pertinentia.

Dices 2.^o Materia prius recipit formam substantialem, quam accidentia. Nam idem est ordo recipiendi ac respiciendi; materia autem prius respicit formam, priusque ad illam ordinatur. Atqui si accidentia corrupti corporis remanerent, prius in materia reciperentur, quam nova forma. Hinc etiam forma non foret reapse actus primus.—*Resp. neg.* Major. Et ad probationem dico, materiam quidem prius respicere formam prioritate dignitatis et intentionis, non tamen prioritate originis et executionis, nam prius per accidentia disponi debet ad formam recipiendam. Simili modo potentia visiva, quamvis prius respiciat ordine intentionis visionem, quam speciem, at prius recipit hanc, quam actum visionis elicit. Forma ergo substantialis est quidem actus primus dignitate et perfectione atque intentione, quia constituit esse specificum

(1) Verum hæc fusius nobis, ad finem jam propterantibus, persequi non licet. Videatur Suarez (loc. cit.), et Lossada (loc. cit. num. 65); et in contrarium Complutenses (loc. cit. quest. 6. num. 53 seqq.), Cardin. Aguirre (loc. cit. sect. 2. num. 17 seqq.).

Quaedam
difficultates
solute.

corporis; non autem dicenda est actus primus etiam tempore executione, donec probetur ab adversariis (1).

Dices 3.^o Accidentia existunt in composito gratia formæ. Ergo hac pereunte, oportet, ut illa quoque pereant.

Resp. *dist. antec.* Aliqua, *conc.*; omnia, *neg.* Nam quantitas non est gratia formæ, sed materiæ gratia, cuius est proprietas. Accidentia etiam, quæ ad novam formam disponunt, huius, non veteris formæ, quæ corrumpitur, gratia existunt: non ergo est ratio, cur corrupta priori forma, perire debeant. Ut porro propositio nostra vera sit, sufficit, ut vel unum dumtaxat accidens præcedentis corporis perseveret. Illud quoque ab adversariis quæri potest, quoniam accidentia gratia formæ volunt existere in composito; cuiusnam formæ gratia produci, et existere debeant in cadavere organa visus, auditus etc., nævi, cicatrices, aliaque id genus accidentia formæ cadavericæ prorsus inutilia? (2). Plura apud priscos Doctores require.

ARTICULUS IV.

An corporeæ substantiæ sola virtute accidentali suos producant effectus.

Status
questionis.

365. Ad complementum tractationis de corporea activitate, necesse est salebrosam attingere controversiam, in qua multa occurrunt dubia, magnaue inest opinionum varietas. Quoniam corpora agunt, nec solum accidentia, sed substantias quoque vere producunt, oportet consentaneam illis agendi virtutem asserere. Et inesse quidem corporibus virtutes quasdam et activitates accidentales a substantia realiter distinctas, ostendimus precedenti capite. Dubitatur autem, utrum harum accidentalium virtutum efficacitas ad ipsam quoque substantiæ novæ generationem pertingat, an agnoscenda præterea sit aliqua virtus substantialis. Verum ut clarius questionis status proponatur, revocanda in primis ex *Ontologia* (3) est distinctio principii agendi quod et quo, itemque principii quo mediati vel radicalis et proximal atque

(1) Cfr. Suarez (loc. cit., num. 56).

(2) Vide Lossada, (loc. cit. num. 66 seqq.)

(3) *Ontolog.* num. 397 pag. 1146.

immediati. Et hic quidem non est controversia de principio quod activitatis corporeæ, illud enim semper est suppositum ipsum; sed de principio quo seu de virtute, qua corpus agit. Deinde effectus, qui produci possunt a corporibus vel sunt substantiæ vel accidentia; et accidentia vel propria vel communia: actiones demum corporum vel sunt immanentes ac vitales, vel transeuntes et ad extra. Quare cum quæritur, qua virtute corpora suos effectus producunt, posset quæstio institui de omnibus istis actionibus et effectibus. Verum nunc non agimus de actionibus vitalibus, de quibus controversia erit in *Psychologia*; neque etiam de dimanatione proprietatum, respectu cuius jam in *Ontologia* (1) asseruimus substantiæ immediatam activitatem. Jam etiam in *Ontologia* (2) ostendimus cum communiore sententia contra quosdam alios, accidentia communia mutationesve ac modificationes accidentales fieri a suis causis ope dumtaxat virtutum accidentalium. Controversia ergo nunc restringenda est ad activitatem, quam corpora exercent per actiones transeuntes ad producendas alias substantias. Dubitatur videlicet, qua activitate vel virtute substantiæ novæ generentur a corporibus, utrum sola accidentali, an sola substantiali, vel an utraque simul: et sermo est de virtute per modum principii quo proximi et immediati, nam omnes fatentur formam substantialem esse principium quo saltem remotum, vel radicale, vel mediatum, ac principale.

Tres sunt in proposita controversia præcipuæ sententiæ: duæ extremæ, tertia media. Scotistæ, ut refert Pontius, cum Subtili Doctore communiter putant productionem substantiæ nullatenus immediate attingi ab accidentibus, sed immediate procedere ab ipsa substantia: quare formam ipsam substantialem habere secum identificatam virtutem aliarum substantiarum effectricem, accidentia vero solum posse materiam disponere, quin ulterius procedant (3). Scotistis

Varie
sententiæ:
prima
Scotistarum.

(1) A num. 320, pag. 922, seqq.

(2) *Ontolog.* num. 398; *Quarto dubitatur*.... pag. 1147.

(3) Vide Mastrium (*Physicor.* disp. 7, quæst. 6, art. 2), Pontium (*Physic.* disp. 9, quæst. 2), Frassen (*Physic., de Causa secunda efficiente*, quæst. 2, concl. 1). Cfr. apud Suarez (*Metaphys.* disp. 18, sect. 2, num. 5).

adstipulati sunt hac in re Durandus et Ockam et quidam alii (1), et e nostris Arriaga et Oviedo (2) et alii. Secunda sententia pariter communis inter Thomistas (3) tenet substantialem formam esse quidem principium quo principale et radicale ad producendas alias substantias, quod tamen non attingat per se immediate effectorem earum; quare nullam agnoscit in corporibus virtutem substantialem, vel identificatam cum ipsa forma substantiali; sed adaequatam activitatem illorum decernit esse accidentalem, et a forma dimanantem, quae proinde substantiae productionem attingat tanquam virtus et instrumentum formae substantialis. Hanc tenet etiam S. Thomas (4) ac plures e nostris Auctoribus (5). Tertia denique opinio mediam tenet viam, vult enim adaequatam principium quo generationis substantialis exurgere ex potentiis activis accidentalibus et ex virtute substantiali cum forma identificata; quare formam etiam esse principium proximum et immediatum substantialis

altera
Thomistarum,

tertia media.

(1) Apud Rubium, Conimbricenses, et Pontium, et Complutenses.

(2) Arriaga (*Physic. disp.* 11, sect. 2, subsut. 4), Oviedus (*Physic. Controv.* 9, punct. 4). Idem tenent, praeter Peynao et Richardum Lynce, etiam Quiros (tract. 3, disp. 57, sect. 2, num. 13), et Hurtadus (*Physic. disp.* 9, sect. 5, num. 52), Soarez lusitan. (*Physic. tract.* 2, disp. 6, sec. 1), Mayr. (*Philos. perip.* num. 1094, 1123, 1131).

(3) Vide priscos Thomistas apud Suarez (*Metaphys. disp.* 18, sect. 2, num. 9 et 14) et Conimbricenses (*Physic. lib.* 2, cap. 7, quaest. 18, art. 3). Vide praeterea Joann. a S. Thom. (*Physic. quaest.* 12, artic. 3), Goudin (*Physic. prim. pars. disp.* 2, quaest. 4 art. 3), Cardin. Aguirre (*Physic. disp.* 15, sect. 2), Complutenses (*Physic. disp.* 10, quaest. 4).

(4) S. Thomas. 1 p., quaest. 54, art. 3; quaest. 77, art. 1; 1.^o dist. 3, quaest. 4, art. 2, corp. et ad 2.^{am}

(5) Ita nominatim Cardin. Tolet. (*Physic. lib.* 2, quaest. 8), Vazquez (In 1.^{am} part. disp. 189, cap. 3, num. 10), Valentia (In 3.^{am} part., disp. 6, quaest. 3, punct. 2), Pereira (*de Communibus* etc. lib. 8, cap. 13), Rubius (*Physicor. lib.* 2, tract. 4 de Causa eff. quaest. 4), Conimbricenses (*Physicor. lib.* 2, cap. 7, quaest. 18, art. 3), Albertinus (*Corollaria seu Quaestiones theolog. ... quae deducuntur ex principis philosoph. complexis. Secundum princip. philos.*, dubit. 1.^o), Sylvester Mauri (*Quaestio. philos.* lib. 2, quaest. 21), Rhodes (*Philos. perip.* lib. 2, disp. 2, quaest. 3, sect. 4, paragr. 2), Semery (*Trienn. philos.* tom. 3, disp. 3, quaest. 2, art. 1), De Benedictis (*Philos. perip.* t. 2, lib. 2, quaest. 4, cap. 4, paragr. 3), etc.

generationis, et per seipsam influere, non autem solum mediis virtutibus accidentalibus. Ita sentiunt cum Eximio Doctore (1) multi ex nostris Auctoribus (2).

366. PROPOSITIO 1.^a Accidentibus negandus non est immediatus influxus in substantiam, quo per modum instrumenti generationem illius attingant.

Haec est contra Scotistas et plures Nostratum.

Probatur autem 1.^o Possibilis est immediatus influxus accidentis in substantiae generationem. Atqui si non repugnat ejusmodi influxus, asserendus omnino de facto videtur. Ergo...

Accidentibus
negari nequit
immediatus
influxus
in substantiam,

Major conceditur a multis adversariis, ac nominatim ab Arriaga et Oviedo. Probatur vero facile; quia praecipua ratio, propter quam repugnaret immediatus influxus accidentis in substantiam, est major hujus praeter illo perfectio ac nobilitas. Atqui quamvis repugnet, ut virtus minus perfecta effectum praestantiorum producat tanquam causa principalis, non tamen ut producat tanquam causa instrumentalis. Ergo...

Minor probatur experientia, quia generationes substantiales saepe contingunt ope activitatum ac virtutum accidentalium, ut constat in igne v. g., qui non comburit, aut ad cineres lignum redigit, nisi operante calore. Quae experientia et aliae id genus si probant contra occasionalistas veram activitatem causarum naturalium, non minus probant concursum accidentalium virtutum ad substantiae novae generationem.

Ceterum accidentia non possunt attingere immediate substantiae productionem tanquam principales causae, sed solum tanquam instrumentales. Quia principalis causa vel est univoca, vel aequivoca: univoca est ejusdem speciei ac rationis cum effectui; aequivoca est illo eminentior ac nobilior. Cum itaque accidentia neque sint ejusdem cum substantia rationis, nec illam excedant in nobilitate, sed longe sint deterioris conditionis; reliquum est, ut non possint principalis causae dignitatem ac nomen obtinere.

per modum
nempe
instrumenti,
non causae
principalis.

(1) *Metaphys. disp.* 18, sect. 2, num. 15 seqq.

(2) Ita v. g. Lossada (*Physic. tract.* 2, disp. 6, cap. 1 et 2), Compton et alii apud ipsum; itemque P. Bartholomaeus Amici (*Physic. tract.* 12, quaest. 10, dub. 3, art. 3, seqq., et art. 7 seqq.).

Quaedam
difficultates
soluuntur.

367. Dices 1.^o Substantia habet adæquatam virtutem secum identificatam ad producendam aliam substantiam. Ergo supervacaneus est influxus accidentium in ejusdem substantiæ generationem.—*Resp. neg.* antec., ut statim probabitur in altera propositione.

Dices 2.^o Effectivus concursus detegi solet ex similitudine, quam effectus gerit cum sua causa. Atqui in substantia generata nulla est similitudo cum accidentibus. Ergo hæc nequeunt esse causa immediata attingens substantiæ generationem.

Resp. dist. Major. Si sermo sit de concursu effectivo causæ principalis, *conc.* Si de concursu causæ instrumentalis, *neg. Trans.* Minor, et *dist.* similiter consequens.

Dices 3.^o Nec virtus nec potentia materialis potest influere active et immediate in effectum spirituales. Ergo nec accidens in substantiæ generationem.—*Resp. 1.^o dist.* antec.: tamquam principalis causa, *conc.*; tamquam instrumentalis, *neg.* ex probabiliori communiorque sententia, docente phantasma instrumentalem præbere concursum in intelligibilis speciei productione: qua de re alibi.—*Resp. 2.^o trans.* antec., *neg.* conseq. In iis enim aliisque rebus, non est ratiocinandum a priori, abjecta omni experientia. Jam vero de potentiis et virtutibus materialibus, v. g. de sensitivis, excepto phantasmate, nulla suppetunt argumenta, quæ suadeant earum concursum activum in actus spirituales. At aliter dicendum est de accidentibus respectu productionis substantiæ.

Dices 4.^o Atqui argumentum a nobis allatum ad evincendum concursum ejusmodi immediate effectivum, non est satis idoneum. Sane corpora non generant alia corpora, nisi prout habent quantitatem et ubicationem: et nihilominus nec ubicatio nec quantitas quidpiam efficiunt. Simili modo nec amor nec alius adest voluntatis actus, nisi ad præsentiam cognitionis; quin tamen exinde concludi possit, secundum communiorem sententiam, effectivus cognitionis influxus in actus voluntatis. Ergo ex eo quod generationes substantiarum non contingant, saltem sæpe, nisi ad præsentiam accidentium simul agentium, perperam concluditur immediatus horum in illas influxus effectivus.—*Resp. neg.* assert. Ad probationem autem respondeo nullam esse paritatem inter accidentales virtutes et exempla objecta. Ubicatio enim activa

non est, siquidem munus ejus est rem ultimo determinare, ut sit hic potius, quam alibi: atque idem dicendum esse constat de quantitate, ex communi Philosophorum sententia (1). Denique in *Psychologia* afferendæ sunt rationes, ob quas cognitioni negari debet in actum voluntatis immediata causalitas effectiva: quæ certe rationes non militant in accidentalibus virtutibus respectu substantiæ. Nam quod ejusmodi virtutes influant active in substantiæ generationem, saltem disponendo materiam, est res experientia ipsa notissima. inde autem jure concluditur efficientia etiam immediata in ipsam entitatem substantiæ, supposito, quod nulla in hoc adsit repugnantia (2).

Quæres forte, quibusnam accidentibus conveniat asserta hæc activitas ad substantiæ generationem. Nam duplex genus distingui potest accidentium: alia sunt in agente externo, quod materiam versans ac varie alterans tandem substantialiter transmutat, novam generando substantiam. Alia sunt ipsæ præviæ dispositiones ab externo agente in materia per suam actionem introductæ, quibus illa ad formæ receptionem præparatur. Resque patet exemplo ignis, qui per actionem sui caloris disponit lignum, magis magisque calefaciendo illud, ad hoc ut formam accipiat ignis. Verum jam superius notavimus, dispositiones in materia introductas non se habere in genere causæ efficientis, sed in genere causæ materialis: quare efficientia, quam accidentibus asseruimus in productione novæ substantiæ, intelligenda est de accidentibus causæ ipsius externæ efficientis, non vero de dispositionibus.

368. PROPOSITIO 2.^A Cum argumenta, quibus immediatus ipsius substantiæ influxus probatur, rem penitus non evincant, dicendum probabilius est creatam substantiam novi corporis generationem per se ipsam non attingere, sed mediis dumtaxat qualitatibus, quæ sunt virtus ejus.

Hæc sententia jam minus frequens est ac incertior, quam præcedens. Eam tamen tuentur omnes Thomistæ cum

Quibusdam
accidentibus
conveniat
activus influxus
in substantiæ
generationem.

(1) Cfr. *Ontolog.* num. 309, pag. 1149.

(2) Vide *Lossada* loc. cit. cap. 3, num. 26 seqq.

S. Thoma, et magna pars, eaque nobilissima, nostrorum scriptorum, ut vidimus.

Argumenta,
quibus
immediatus
substantiæ
influxus
in generatione
alterius
substantiæ
probari solet,
rem penitus non
evincent.

Prima pars probanda est propositis ac solutis præcipuis adversariorum argumentis. 2) **Primum argumentum** ita se habet. Necessè est profecto admittere in natura virtutem adæquate productivam substantiæ. Atqui virtus ejusmodi non potest esse sola virtus accidentalis. Ergo præter omnem virtutem accidentalem agnoscenda est virtus quædam substantialis cum ipsa forma identificata; ac proinde ipsa substantia vel forma immediate per seipsam simul cum accidentibus generationem novæ substantiæ peragere dicenda est. Minor probatur. Quia virtus adæquate productiva effectus nequit illo esse imperfectior et ignobilior, sicut est profecto accidens ignobilior substantia. Sane virtus adæquate productiva effectus debet totam illius perfectionem continere sive formaliter, sive eminenter, sive æquivalenter. Virtus siquidem ejusmodi communicat effectui totam perfectionem ejus. Quomodo autem communicabit, nisi eam in se habeat? Nemo enim dat, quod non habet. Ergo virtus adæquate productiva substantiæ debet perfectionem specificam illius totam continere sive formaliter, sive eminenter, sive æquivalenter. Atqui accidentia certe nullo istorum modorum continent substantiæ perfectionem. Ergo virtus accidentalis non est adæquata virtus productiva substantiæ. En in tota sua vi, quæ magna est, princeps argumentum Scotistarum (1).

Respondeo conc. Major. *neg.* Minor. Ad cujus probationem. *neg.* iterum Major., nempe quod virtus adæquate productiva effectus nequeat esse illo imperfectior et ignobilior, si virtus illa sit medium et instrumentum, quo substantia operatur, et ab illa realiter distinctum. Nec probationes ejusdem Majoris videntur omnino rem demonstrare. Nam quamvis verum sit causam debere continere perfectionem effectus sive formaliter, sive eminenter, sive æquivalenter; non tamen æque manifestum est, nec satis probatur ab adversariis, idem dicendum esse de virtute causæ, quæ sit instrumentum naturale ad

(1) Vide hanc rationem apud Lossada (*Physic. tract. 2, disp. 6, cap. 1, num. 1*), Card. Aguirre (*loc. cit. disp. 15, sect. 3, num. 27 seqq.*), De Benedictis (*loc. cit. cap. 4, paragr. 2*), etc.

effectum producendum. Nec juvat adversarios axioma illud: *Nemo dat quod non habet*. Quia cum accidentia non sint ipsæ causæ, sed instrumentum et virtus, qua causæ operantur, necesse non est, ut in sua physica entitate contineant totam perfectionem effectus, sicut continere illam debent causæ ipsæ, quæ illis ad agendum utuntur. Quare axioma in causis quidem locum habet, non tamen in earum virtutibus. Ad rem melius percipiendam notare debes, proprium esse instrumenti agere in virtute causæ principalis, et qualitates quidem activæ corporum ita sunt instrumenta, ut sint ipsa eorum virtus natura sua deputata, ut mediis illis operentur. Et consequenter sunt via et medium, quo causæ suas perfectiones effectibus communicant. Hinc necesse non est, ut prædictæ qualitates præcontineant in sua physica entitate perfectiones effectus nisi solum ut *quo*, quod nihil aliud est, quam dicere, quod debeant esse adæquata virtus et instrumentum præcontinentis illas, vel esse virtus proportionata et apta, ut causa suas perfectiones transfundat in effectum. Undenam autem probas, nihil posse esse virtutem proportionatam et medium aptum communicandi perfectiones, quin illas habeat in seipso? Hic est totus cardo controversiæ, et donec id probes, reapse non probas necessitatem influxus alicujus immediati, quem substantia præstet, distincti ab influxu naturalium suarum virtutum vel instrumentorum. Quod porro non sit absolute necessarium, ut instrumentum et virtus ad effectum proportionata in se contineat totam illius perfectionem, duplici exemplo declarari solet: altero ex moralibus, altero ex physicis desumpto. In moralibus procurator venditione, donatione aut alio contractus genere transfert dominium, quod non habet, nec requirit in se habere; quia non agit nomine suo, sed nomine alterius dominium habentis, et ope illius in alium transferentis. In physicis vero in ipsa actione, qua effectus producitur: quæ quantumvis debeat esse proportionata effectui, quia tamen non est id *quod* agit, sed id *quo* agens agit, et via ad terminum, non continet æqualem cum effectu perfectionem, ut est apud omnes in confesso. Itaque quod actio in actu secundo, id ipsum præstat virtus in actu primo: utraque enim se habet ut *quo*, altera per modum actus secundi, altera per

modum potentiae ac virtutis. Quia tamen neutra principaliter agit, quod est agere ut mensuram perfectionum effectus, cui scilicet absolute actio tribuatur, neutra effectum sibi, sed alteri commensurat, neutra debet æqualem effectui perfectionem in se continere (1). Et ex iis præoccupata manent, quæ Lossada et alii contra istam solutionem congerunt: non enim probant id, quod est cardo controversiæ ac perennis hac in re fons discordiarum.

Secundum argumentum Scotistarum. Quando accidens dicitur producere substantiam non suo, sed substantiæ nomine ac virtute, vel significatur illud ultra suam virtutem accidentalem accipere aliquam aliam specialem a substantia virtutem, vel non. Si nihil accipit, remanet explicandum, quomodo virtus pure accidentalis sit adæquata virtus producens substantiam. Si accipit, vel illa est accidentalis, vel substantialis: si accidentalis, redit eadem difficultas; si substantialis jam conceditur influxus immediatus substantiæ per virtutem substantialem secum identificatam (2).

Resp. conc. Major, et eligo alterum membrum, nempe accidens non accipere a substantia ullam ulteriorem virtutem præter seipsum, quia ipsum est virtus a natura indita substantiæ ad operandum. Jam autem satis explicatum est, quomodo ista virtus possit esse adæquata ad substantiam generandam, quamvis non contineat in sua physica entitate totam ejus perfectionem: neque id satis impugnatum, vel absurde dici demonstratum adhuc est ab adversariis. Itaque notant plures Auctores, quando accidentia dicuntur producere substantiam *in virtute causæ principalis*, formulam istam loquendi accipiendam esse *intransitive*, nempe non quasi accidentia præter virtutem secum identificatam accipiant novam aliquam altiorem virtutem vel influxum a substantia, sed quia ipsa accidentia in seipsis sunt virtus effectiva substantiæ.

Instabis 1.^o Causa, quæ ab intrinseco et ex natura sua producit effectum aliquem, non est instrumentalis, sed

(1) Vide de Benedictis (loc. nup. cit., *Ut respondeam, noto...*) Cfr. Rhodes (loc. cit., paragr. 2 in respons. ad 1.^{um} argum.), et alii passim.

(2) Cfr. Lossada (loc. cit. num. 6), Cardin. Aguirre (loc. cit. sect. 3. num. 29).

principalis. Sed si accidens est ipsa substantiæ virtus a natura indita et deputata ad operandum, jam est causa ab intrinseco et ex natura sua operans. Ergo ex nostra solutione sequitur accidentia substantiæ converti in ipsam causam principalem.—Resp. *dist.* Major. Si sit æqualis vel majoris perfectionis, quam effectus, et agat virtute sua propria, *conc.* Si agat ex virtute alterius vel tamquam virtus illius, et sit minoris perfectionis, *neg.* Et *contradist.* Minore, *neg. conseq.*

Instabis 2.^o Ad naturam instrumenti spectat, ut sit causa partialis et inadæquata, ac proinde virtus ejus confortari, et compleri debeat virtute causæ principalis. Atqui a nobis sola virtus accidentium dicitur esse adæquata virtus creata ad producendam substantiam. Ergo virtus accidentium in nostra sententia, perperam dicitur esse instrumentalis.—*Respondeo.* Accidentiam, cum secundum nos sint instrumenta conjuncta et naturalia substantiæ, supponunt ac requirunt causam principalem, quæ est ipsa substantia: quare ipsa sola non sunt causa totalis et adæquata. Nihilominus quia sunt ipsa virtus causæ principalis substantiæ, necesse non est, ut novum complementum virtutis a substantia accipiant. Quod ergo dici solet, instrumentum ex se habere virtutem inadæquatam, ideoque complendum esse per altiorem causæ principalis virtutem, intelligi debet, non de instrumentis, quæ sunt ipsa virtus agendi causæ principalis, sed de aliis, qualia sunt instrumenta artis, et generatim differunt supposito, habentque aliqualem ex se activitatem contradistinctam a virtute causæ principalis. Sicut enim hæc ipsa instrumenta, postquam jam acceperunt superiorem efficacitatem a causa principali, nihil jam amplius requirunt præter divinum concursum, quia jam suum nata sunt complementum, ita etiam instrumenta, quæ natura sua sunt ipsa virtus causæ principalis, nihil amplius desiderare debent ex parte illius. Sicut etiam ob eandem rationem ejusmodi instrumenta non indigent ulteriori elevatione causæ principalis, quia jam ex propria natura et unione cum causa principali, a qua jugiter fluunt vel dimanant, jam sunt elevata.

Tertium argumentum. «Dum ignis comburit stupam, calor ignis agentis producit in passo calorem sibi æqualem,

Quo sensu
accidentia
dicuntur
producere
substantiam
in virtute causæ
principalis.

illum scilicet, qui resultat in primo instanti velut proprietas formæ genitæ, quique juxta Thomistas producitur a generante. Ergo nequit in eodem instanti producere formam ignis. Ergo hæc a substantia ignis agentis gignitur. Prob. primum conseq. Nulla virtus in eodem instanti, in quo producit effectum sibi adæquatam, potest producere alium, præsertim superiorem; cum certum sit per effectum adæquatam exhauriri totam virtutem activam. Sed calor in passo productus, est effectus adæquatus calori agenti, cum sit illi prorsus æqualis quoad speciem et intensionem, ab eoque tamquam virtute univoca proveniat. Ergo calor ignis agentis nequit in eodem instanti producere formam ignis» (1).—*Resp. 1.^o* argumentum hoc retorqueri posse in ipsum auctorem, et generatim in omnes, qui accidentibus tribuunt immediatum influxum in substantiæ generationem. Ipsis enim pariter explicandum est, quomodo calor in eodem instanti, in quo totam suam virtutem impendit in producendo calore sibi æquali, possit immediate influere in eductionem formæ substantialis. Itaque argumentum istud jure solum fieri potest a Scoticis ac cæteris scriptoribus, qui negant per actionem accidentium attingi substantiæ generationem.—*Resp. 2.^o* Secundum nostram sententiam calorem in passo productum ab igne generante, non esse hujus effectum adæquatam, quia cum sit virtus igni natura indita ad agendum, quidquid agere naturaliter potest, adæquatus effectus ejus comprehendere debet etiam ipsam novam formam substantialem. Plura vide, si lubet, apud priscos Auctores superius laudatos.

Substantia
immediate per
seipsam
non operatur.

Secunda pars: probabilius dicendum est, substantiam immediate per seipsam novæ substantiæ generationem non attingere. Quamquam controversia hæc mihi satis dubia sit;posito tamen quod nulla ostendatur repugnantia in excludendo omni substantiæ immediato influxu in formæ substantialis eductionem, libentius adducor, ut hanc sententiam amplectar, 1.^o propter auctoritatem S. Thomæ aliorumque gravissimorum virorum, qui eandem tenuerunt. 2.^o Quia nisi hæc admittatur doctrina, difficillius explicatur, quomodo

(1) Lossada, loc. cit. cap. 1, num. 15.

viventia sint vere causæ aliorum intra eandem speciem individuum. Quæ enim generant per semen, planum est, quod non agant immediate, sed medio semine, quod profecto neque est animatum, nec tam perfectum, quam novum vivens generandum, sed longe deterioris conditionis. Immo vero viventia sæpe generantur, aut certe generari possunt, cum jam amplius non existunt parentes, a quibus semina vel ova emissa sunt, ut exploratum est in plantis, volueribus, etc. Quomodo hæc explicabis in contraria sententia? Quomodo parentes per suam substantiam generare possunt, quando jam non sunt, vel quando jam non agunt? Et quomodo ex semine, nasci potest id, cujus certe perfectiones nec formaliter, nec eminenter, nec equivalenter continet semen? Si ponamus principium, quod superius assumpsimus, videlicet semen esse instrumentum continens virtutem parentum, atque adeo parentes agere medio semine tamquam sua virtute, ad novum individuum ejusdem speciei generandum naturaliter deputata, egregie omnia explicantur cum S. Thoma, ut suo loco videndum est in *Psychologia*. Qui vero doctrinam istam aspernantur, ad cælorum nescio quos influxus confugiunt, vel etiam Deum solum faciunt auctorem et causam formarum vel animarum novorum viventium, qui recursus ad primam causam in actionibus, quæ solius Dei propriæ non sunt, qualis certe non est actio generativa, videtur Philosopho, quantum fieri potest, vitandus omnino esse. Verum de his fusius in *Psychologia* disputandi locus erit. 3.^o Secundum hanc sententiam explicatur etiam absque novo miraculo, quomodo accidentia eucharistica easdem chemicas affinitas retineant, eosdemque producant naturales effectus, et cum corrumpuntur, iisdem combinationibus locum præbeant, ac si ipsa panis et vini substantia remaneret. Si dixeris accidentia eucharistica continere virtutem panis et vini, nullo negotio res tota declaratur. Si aliam teneris sententiam, necesse est, ut ad Deum confugas, qui miraculose suppleat activam et influxum, quem ipsa substantia, si adesset, exhiberet ad consentaneos effectus obtinendos.

Fateor hæc argumenta non penitus convincere; me tamen movent, ut sententiam S. Thomæ cæteris anteponam. Solent